18

DE
FURORE UTERINO,
SEU
DE METROMANIA,
TENTAMEN MEDICUM,
QUOD

In Augustissimo Ludoviceo Medico Monspeliensi, Deo duce & auspice Dei-parâ tueri conabitur FRANCISCUS BOUIN DE BEAUPRÉ, Ruffiacensis, apud Pictones, Artium Liberalium Magister, & jamdudùm Medicinæ alumnus, die mensis Novembris, anni 1773.

Pro Baccalaureatus gradu consequendo.

Otia si tollas, periere cupidinis arcus
Extinctæque jacent, & sine luce faces.
Ut ait Poëta.



MONSPELII;

Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Universitatis Medicinæ, Typographum unicum.

M. DCC. LXXIII.

debilitatem, quæ magnam in venere sobrietatem postulat, sive propter conceptum in mulierem fastidium, debitis conjugis officiis obsequi nequit aut non vult. Sunt & aliæ quamplurimæ causæ quæ virorum gloriam vindicando facillime excogitari possunt, nempe cum temperamento validiori donantur mulieres, & insatiabili coeundi cupidine flagrant, quo viri etiam strenuissimi, robore corporis admodum florentes, & notæ circa opus fortitudinis, tandem ad venerem maxime proclives, & proni, brevissime defatigarentur. Aliis hic contigit affectus post congressum cum viris, qui ad venerem augendam, & voluptatem fœminis conciliandam, membrum virile, moscho, & aliis calidioribus inunxerant.

Meretrices quandoque nec immerito quidem invadit nam assuetæ libidinibus etiam turpissimis, criminis necessitatem contraxerunt.

Proclivitas ad hoc morbi genus, adaugetur vita otiosa, delitiis, voluptalibus dedita, lectione continua misselliarum fabularum quæ sub principio teneros, sub fine vero lascivos edocent amores, eo crudelius urgentur istæ mulieres, & eo certius ad perniciem ruunt, quo magis lubrica in animo volvunt, & de his cum sodalibus colloquuntur, cantibus tandem illicitis quotidie accenduntur ignes quibus devorantur.

Non parum conferunt ad incendium, vigiliæ, titillatio clitoridis, & vulvæ, qua nedum libidini satisfiant, eo magis accenditur, & exacerbatur ut plurimum, sunt & alia irritantia, nempe liquores, & vini generosiores, qui nimia assumpti copia spiritu partes extra totum efferunt, & irritabilitatem adaugent in toto systemate nerveo quæ magis sensibilis evadit in partibus genitalibus naturali irritabilitate & sensibilitate prædictis, quod non solum probabile, sed etiam œconomiæ animalis legibus sat consonans apparet.

Quæ quidem omnia licet sat horrenda, ut eorum auditu, quilibet tam deploranda sorte certe commoveatur, nondum tamen ad secundum gradum quem delirium melancholicum vocamus, pervenit.

Hic, abjecta omni verecundia, nuda venus, nudaque incantamenta ejus apparent, transeuntes notos ignotos ve ad veneris certamina provocant, & furibundæ insiliunt in reluctantes qui ni forti sint animo, tum illecebris, tum periculi vitandi causâ, cederecoguntur.

Tunc enim temporis, nil boni malive agnoscunt. In libidine explenda omnia ponunt, & vident, certæ pernitiei ne cogitantes quidem, oblitæ famæ, sexûs, continentiæ immemores, nulla religionis jamdudum habitâ ratione, parentum lachrimas, preces & minas irridentes, omnibus tandem honestis in sensibiles omnino fiunt.

Nec sac est; nam quilibet occurrens, etsi difformis, cupidinis fit subjectum, & si quid dulci jucundi ve proferatur ab illo, blandâ

ſpondent voce, & geſtu libidinem exprimunt. Omnia ad complexum provocant in ſe, tum oculi, tum precaces vultus nudaque pectora, ultro ſe exibentes papillæ cupiditatis flammeæ in omnibus ardorem concitare exiſtimant.

Hucuſque tamen morbus quantumlibet gravis intra delirii fines ſe continet, ſed brevi in opertam maniam erumpit, tunc laſcivo veneno flammata libido urget, æſtuant, ſpumant, nec dictis & factis paſcunt, exagitantque furiæ, & quidquid turpiùs & audacius excogitat libido, quidquid violentius, & inauditum invenit ira, ad hæc omnia virili animo ſe paratas præbent. Omnibus tandem animi motibus adeo facile obſequuntur, ut parentes tum honori tum ſecuritati ſuæ & publicæ conſulentes, eas dimovere, & abſcondi jubere coguntur. Adeo laborant hoc affectu ut *Plutarchus* refert de Virginibus eas coacervatim ſe ſe ſuſpendiſſe, nec potuiſſe, monitis, precibus, aut nulla vi impediri.

CAPUT SECUNDUM.

Cuilibet attentè conſideranti, hoc morbi genus, primo intuitu occurret ei duobus diverſis morbis præbere originem, delirio melancholico incipit, cujus in uteri vitio reperitur cauſa, dein mutatur in delirium maniacum quod ſimul in læſione cerebri principium habet, ex his duobus una concurrentibus, naſcitur nymphomania, ſi unus tantum morbus adſit, id eſt uteri nimia caliditas, inſatiabilis tunc coeundi cupido aderit, remoto omni deſiderio; ſi duo concurrant, invadet melancholia meditabunda, aut mania tandem occupabit, quod ſequenti ordine delucidare opus eſt.

1°. De effrænata veneris cupiditate. 2°. De eadem delirio melancholico conjuncta. 3°. Tandem cum in maniam erumpit.

Producitur immodicus ille coeundi appetitus, à ſeminis copia, acrimonia, & fervore, naturæ leges excedente, quæ in vaſis genitalibus immoderate turgens, genitalia vehementer excitat ad veneris appetitum, eaque veluti inflammat; plurima enumerantur in fæminis organa, quæ præbent voluptati venereæ ſedem, clitoris 1°. Quæ omnium unanimi conſenſu, exquiſitiſſimo prædita ſenſu, dulciſſima in coïtu ſenſatione afficitur, ideo amoris dulcedo nuncupatur. Tota vaginæ amplitudo, & maximè ea pars quæ ad vulvam connectitur, ipſiuſmet uteri facies interna, quæ ſenſibilitate maxima donata ad voluptatem alias quaque partes ſtimulat, veluti ſenſationes quæ in ventriculo ſiti & fame experiuntur, alia quæque organa ad has ſenſationes provocant.

Nec omitti debent organa quæ in mulieribus ſecretioni ſeminis deſtinata ſunt, quæ & ipſa in conſortium voluptatis veniunt. Quæ ſunt:



D. D.

FRANCISCO BOUIN DE BEAUPRÉ,

AVUNCULO SUO,

ANTIQUO COPIARUM DUCI,

NUNC IN ARCE REGIA INSULÆ MARTINICÆ

VICE-PRÆFECTO.

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

D. V. C.

Humillimus obſequentiſſimus ſervus & nepos,

FRANCISCUS BOUIN DE BEAUPRÉ.

DE FURORE UTERINO.

QUanquam mihi arduum legitimam Furoris Uterini definitionem dare videatur, ob hujuſce morbi complicationem, ſtatus diverſos qui tot, ut ita dicam, definitiones exacte loquendo pati poſſunt, aliunde quanquam ſat parum mihi arrideant authorum definitiones, ſequens tamen præſtantior mihi apparuit; itaque Furor Uterinus definiri poteſt inſatiabilis coeundi appetitus. Verum enim vero deſcriptio utpote utilior multo magis placuit, quæ etſi innumeris ſcateat difficultatibus mihi tamen poſt lectiones multum repetitas haud inſuperabilis videtur.

Subtilitati materiæ, insufficientiam meam noſcens, multa ſi ſint inconcinna, ut nullus dubito, ſubjecti difficultatem non arguens; nec in veniæ ſpe nimium cautus, mihi neſcienti quid valeant humeri ferre, quid ve recuſent tribui libentiſſime concedo, attamen ut improbus omnia vincit labor, animum erigo, alia fulcitus ſpe, clarioris nempe brevi hac de theſi lucis, poſt objectiones ex tam eximiis fontibus ortas, ut ad hanc doctrinam maxime elucidandam, magnopere conferre perſuaſum habeam.

Septem Capitibus abſolvetur hoc tentamen in 1°. Narrabitur hujuſ-ce morbi hiſtoria generalis, in 2°. Cauſæ enumerabuntur, in 3°. De gradibus & ſymptomatibus, in 4°. De differentiis, in 5°. De diagnoſi, in 6°. De prognoſi, in 7°. Tandem curationem abſolvemus quæ diverſa erit pro variis hujuſce morbi temporibus.

CAPUT PRIMUM.

Furor Uterinus ſeu Metromania, Græce ſic nominata, à nonnullis recentioribus nymphomania, quaſi dicas maniam clitoridis, cui olim nympha nomen fuit, vel erotomania, hoc eſt mania amoris; ſed à vocabulis iſtius modi abſtinemus, quoniam non ſunt communi uſu recepta.

Itaque Furor Uterinus ſedem habet (ex mercato) in partibus genitalibus mulierum, in his ſcilicet partibus quæ generationi ſeminis dicatæ ſunt, teſtibus ſcilicet & vaſis ſpermaticis ipſis annexis.

Religioſum de hoc morbo ſervaſſe ſilentium videntur antiqui non tamen propter pudorem ut opinatur vulgus, ſed quia ut pote rariſſima non ſat optime cognoverunt; (etſi extiterit forſan) mores & religio temporum nedum ei faverent ſicut & nunc, obſtabant econtra.

Obnoxiæ præprimis huic morbo ſunt virgines alacriores, ut & nigricantes, ſanguinem que non nihil aduſtum habentes, & ætate florente conſtitutas (quas propter Ariſtoteles diligenter cuſtodiendas monet) quæ viro jam maturæ, ſive propter caſtitatem nimiam, vitamque nimis religioſam (quod quidem non frequentiſſime occurrit) ſive propter conceptum amorem in amaſium quem perdite amant & quo potiri non datur, ſpe tamen non deſtitutæ diu noctuque in cogitatione & modis accelerandi, ſi fieri poſſet, tam exoptatæ poſſeſſionis felici momento, maxima cum voluptate & anxietate hærent, & meditabundæ abſorbentur, fertur quaſdam incidiſſe in hunc affectum ob hauſtum vini Hyppocratis in quo aliquid boracis erat diſſolutum.

Nec nuptis etiam paſcit, ſed per accidens equidem, quippe vitio mariti hoc aliquando contigit qui ſive propter obeſi temperamenti

& fœminas libidinosſas facit ſine delirio & furore, quales fuerunt Semiramis Regina & Meſſalina quæ laſſari quidem poterant venere ſed non ſatiari. Si cui affectui eſt ſimilis, ſatyriaſis in viris eſt ſimilis cum in eo partes in quibus veneris appetitus maxime reſidet, turgeant, intumeſcant, ut extra prominere videantur.

Differt tandem à ſuffocatione uteri, quia in hac mulieres manent attonitæ, ſine motu & loquela, cum exigua reſpiratione, in furore vero uterino, garrulæ, iracundæ & inquietæ ſunt ſuffocationem tamen furor conſequitur, quando ex inextinguibili ſeminis appetitu provenit.

CAPUT QUINTUM.

De Diagnoſi.

Diagnoſis hujus affectus ex hiſquæ dicta ſunt facillime elici poteſt, ſed quia ſenſim & per gradus apparere ſolet, illius progreſſus exponendus. In principio igitur dum adhuc mentis compotes ſunt, mæſtiores, & taciturniores evadunt, ſcillicet cum occulorum jactatione & laſcivia & faciei rubore quæ per intervalla intenduntur. Præcipue vero rei venereæ factæ commemoratione, ad quam reſpiratio & pulſus immutantur per ſympathiam cordis undè *Galenus* ſe ex pulſu cognoviſſe gloriatur furibundos mulierum amores, quod ejuſmodi amantes varias ſubito mutationes in pulſu patiantur dum objecta illis expetita offeruntur, vel in memoriam revocantur. Poſt modum vero dum malum exacerbatur, incipiunt rixari, lacrimari, ac ſub inde in riſum effundi, multa colloqui inconcinne & imprudenter ex quibus nil certi colligas, deindè reſipiſcunt, donec alter paroxiſmus ex materiæ motu inordinato & ſine ulla periodo redierit. Hoc furore percitæ mulieres viros ad coïtum palam & coram omnibus invitant, rem veneream proprio & vernaculo nomine paſſim inculcantes, quamvis facilem diagnoſim eſſe dixerim, primus tamen ſtatus difficultatibus implicatur, quarum maxima eſt ægrotantis pudor quæ cauſas hocce morbi genus producentes conſtanter tacere cogit, quarum cognitio ad certam morbi Diagnoſim ſtabiliendam non parum conferre perſuaſum habeo.

CAPUT SEXTUM

De Prognoſi.

Difficile curatur hic morbus, & eo difficilius quo magis inveteratus eſt, ideo ut certa elici poſſit Prognoſis, conſiderandi ſunt morbi ſtatus & gradus in 1° ſat facilis eſt curatio, in 2°. difficilis, in 3°. deſperata; ut ita dicam; ægrotantes enim, ſicuti mania, occidit, quia humores

depravat & corrumpit, tensionem inassuetam experiuntur nervi, qui quidem in tali statu, ægri vivere nequeunt. Obeunt tandem vitiis quam plurimis & perturbationibus in toto corpore excitatis ab utero, magna salutis spes affulget in primo statu, quando longiora incipiunt esse intervalla, aut quando corpus emaciatum restaurari incipit, & commemoratio rei venereæ coram illis factæ, eas non amplius ut antea multum afficit, quando copiosa menstruorum evacuatio incipit, sunt quæ in secundo gradu, narium, quandoque etiam hemorroidum fluxu immodico sanatæ fuerunt; aliæ tandem dulci somno, qui protractus fuerat aut evacuationibus, aut nimia invasionum perturbatione, cui feliciter succedebat, sic felici signo & prognosi sunt menstruorum apparitio, hemorragia, & diarrhea, quippe hæc evacuationes crisim salutarem afferre possunt.

CAPUT SEPTIMUM.

De Curatione.

Videndum primo quousque malum progressum sit, nam si adhuc in principio, & ratio nondum sit penitus corrupta, diligenter monendæ sunt virgines, ut suæ, imo totius familiæ famæ, atque honori, consulant neque tam turpiter se prostituant, precibus, (ex consilio Sennerti) & jejuniis veneris, illum stimulum doment, cum honestis & pudicis virginibus, & matronis, conversentur, turpia & obscæna, nec audiant, nec videant, nec legant, cum juvenibus non conversentur. Tutissimum quoque est tales virgines matrimonio honesto jungantur, cum melius sit nubere quam uri, & ut Augustinus ait, durissima sint prælia castitatis. Ubi quotidiana pugna, rarissima victoria.

Cum vero affectuum ea sæpè vis sit, ut monitis non satis domentur, at surdis plerumque narretur fabula, interdum etiam si matrimonium ineundi occasio non datur, aut à viris non sat potentibus ardor ille extingui non possit, ut causa quæ ex seminis acrimonia, sanguinisque caliditate tollatur, danda est opera.

Titillationem clytoridis & vulvæ in paroxismo suadent autores, & si sanguis corpore abundet, calidiorque sit, evacuandus, & quidem non semel, sed sæpius si opus sit, cum sanguinis missione, & sanguinis massa, & totius habitus corporis, & uterus, simul refringerentur; & proinde vix præstantius remedium aliud ad hoc malum vincendum, quam sanguinis missis sit.

Si vero humores calidi & vitiosi, qui uteri, ac seminis, caliditatem fovere & augere possint, abundent, ii temperandi à lenioribus & convenientibus medicamentis evacuandi sunt, si tamen humores adusti adsint, & ad maniam malum declinare videatur, etiam fortiora quæ

1°. Proſtata quæ in fæminis urethram ambit, & duobus oſtiolis ad latera urethræ in partem vulvæ ſuperiorem ſubter clytoridem ſecretum humorum ubertim profundit. 2°. Glandulæ couperianæ quæ in perinæo ſitæ, vulvam inter & anum, juxta radices caruncularum mirtiformiorum duplici ductu pateſcunt ad vaginæ orificium. Innumeræ aliæ glandulæ quæ aut ſeparatæ, aut unitæ, in vaginæ ſubſtantia, ubi ſemini ſat analogus humor depluit. 4°. Lacunæ quam plurimæ quæ internam vaginæ faciem ambiunt, quæ ſine patenti orificio limpidum humorem ſtillant, his omnibus quas nemo ſanus in dubium revocabit conceſſis, manifeſte ſequitur organa apud mulieres multo vividius affici quam apud viros, & hoc propter rationes ſequentes; quia propter delicatiorem partium conformitatem, ut plurimum diſpoſitio quædam innata reperitur, quæ ita ſuccuſſiones intendit ut vividius excipiantur; hac ratione & aliis quas brevitatis cauſa omittimus, fortius impreſſiones organa percipiunt, & violentius ab illis afficiuntur, unde patet voluptatis ſenſationes multiplici gaudere ſtimulo, & illas ſuccuſſiones de quibus mox dictum eſt, ad tres cauſas generales referri poſſe. Nempe 1°. Levi & voluptuoſa organum titillatione. 2°. Vellicationibus per quam jucundis, quibus dulciſſime ſtimulantur. 3°. Punctionibus ad volontatem maxime provocantibus.

CAPUT TERTIUM.

De gradibus, & poſtea de ſimptomatibus, ſic ſe habent gradus. Dividitur in incipientem, confirmatam, & deſperatam. In 1°. Sunt adhuc mentis compotes, inſatiabili tamen coeundi cupidine flagrant. Sed maxima ſalutis ſpes affulget, ſi regimine temperato utantur, ſi inſuper prudentis Medici monitis adhærere non recuſaverint, ſi omnibus voluptatis illecebris reſiſtere conentur, verum ſi quibuſlibet animi deſideriis obtemperare non deſinant, ſi precipue temperamento calidiori donatæ ſint, nec objecta morbum foventia cauſtiſſimè vitent, ſi vitam mollem voluptatibus continuo dediram agant; ſi nedum humorum efferveſcentiam temperantia, imo & calefacentia & irritantia, ſicuti vini & liquores nimio ſpiritu præditi, hauriant, ſi tandem ſommo indulgere deſinant, brevi ſimpathiâ, ſuccuſſiones uteri ad cerebrum uſque producentur. Et variis ordinationibus & motibus inordinatis rationem perturbabunt. Hic confirmatur morbus.

Occurrit alia diviſio nempe ea quæ à ſeminis copiâ & acritate producitur. 2°. Quæ ex delicatiori partium uteri textura petitur, vitio nervorum partes organicas ambientium qui vividius afficiuntur, ſive prop-

ter tenuitatem. Sive tenſionem, ſive propter utrumque quod in illis multo magis exquiſitam ſenſibilitatem afficit.

Docente Baglivio, producitur mania oſcillatione ſpaſmodica fibrarum quæ ex centro oſcillationes communicant. Quidquid ſit, ſophiſtica ſpeculatione diutius immorari prorſus inutile videtur, aliunde hæc omnia aciei noſtræ minime ſubjici poſſe arbitror.

Signa ex Roderico à Caſtro, prodit affectionem fæminarum garrulitas & quod inſtar furiarum agantur inquietæ, oculis ſublimibus, & incompoſitis, pruriunt, ac manibus locos ſæpiſſime fricant, quorum attactu inſigniter delectantur, nihil quæ aliud imaginantur aut loquuntur quam de virorum conſortio, de coïtu, de rebus laſcivis & inhoneſtis, quæ etſi pudore fœmineo interdum celent, gaudent tamen iis auditis ac ſimilibus, maxime ſi impudicus tactus occulte accedat.

Aliud ſymptomatum genus in 1°. Statu. Triſtes, meditabundæ fiunt, ſubito tantum juvenis aſpectu commoventur, imminente menſtruorum tempore, certo quodam pruritu in partibus genitalibus jucundiſſimè afficiuntur, vel potius ſtimulantur, paulatim in melancholiam incidunt, attamen virorum colloquium maxime placet, facillime ut jam dixi, blanditiis, obſequuntur, & quandoque illos antecedere non dubitant. Obſcænis noctu exagitatur imaginatio ideo ſomno indulgere nequeunt. Mens perturbata illuditur omnibus quæ diu excogitatæ fuerunt.

Pauciſſimæ ex hoc ſtatu virgines evadunt, & quædam ſibimet adverſæ nimis imperantes in delirium melancholicum incidunt; quædam deſideriis ſuis obtemperantes curatæ fuerunt, evacuatione ſalutari, tum uteri, tum annexarum partium, ſed ſunt quæ id auxilii genus averſantur, aliis impoſſibile; iſtis ignotum, (ſed pauciſſimis equidem.)

Ingraveſcente Morbo, in maniam incidunt, tunc parum edunt; alvus piger fit, cutis marceſcit, cavi fiunt oculi, ſolius viri aſpectu ardent; ſermonibuſque turpiſſimis eos provocant. Cutis calor maximus, lingua arida & ſicca invenitur, calore & frigore etſi intenſiſſimis parum ſenſibiles.

CAPUT QUARTUM.

De Differentiis.

Differt 1°. à ſalacitate, etſi enim ſit magnus veneris appetitus, tamen nullum adeſt delirium, & fæminæ ſalaces intra honeſtatis & rationis limites ſe continent & ſi quid peccant, ſaltem occulte id faciunt, in præſentia vero aliorum appetitum illum venereum celant. Differt 2°. à pruritu uteri, pruritus enim iſte in ſenioribus etiam omnibus ſine libidine & veneris appetitu eſſe poteſt, ſi ſit in pudendis non eo loco qui veneris appetitus primaria ſedes eſt, & ſi ſit cum venereo ſaltem ſalacitatem parit,

atrum humorem compeſcunt, uſurpandi ſunt, imprimis vero ad uterum ut & univerſum corpus refrigerandum, humorumque fervorem temperandum, utile eſt aquæ dulcis balneum, cum foliis lactucis, ſalicis, nimpheæ, vitis, portulacæ, umbiliri veneris, floribus quoque roſarum rubrarum, violarum &c. Cui fæmina bis de die inſideat, ſudorem tamen cavere opportet, poſt quam hoc modo univerſo corpori proſpectum, jam proximæ cauſæ, uteri ſcilicet & ſeminis calori, hujuſque acrimoniæ occurrendum, & cauſa proxima quæ ad venerem ſtimulat, tollenda.

Hoc autem faciunt primo refrigerantia, ut lactuca, viola, nymphea, de quo *Dioſcorides* ſcripſit quod contra veneris inſomnia bibatur & ea prorſus adimat. Potataque aliquot diebus, genitale infirmit, quod & *Galenus* confirmat.

Salix cujus folia trita, & pota, & ſumpta, per ſe præſtant mulieribus ne concipiant, teſte *Dioſcoride*, ſunt & aliæ quæ occulta qualitate, ſemen extinguunt, ut vitex quæ & ſi vim calefactoriam habeat, teſte *Dioſcoride*, tenuis ſit ſubſtantiæ & acris, ſecundum *Galenum*, occultam tamen proprietatem habet, ad extinguendum ſemen & veneream libidinem coercendam; undè & agni caſti nomen accepit, cujus & flores & folia & ſemen id preſtant, unde refert *Sennertus* mulieres Athenienſes, in Thermophoriis ſeu ſacris cereris, ut caſtæ eſſent, lectis folia viticis ſubſternebant; quorum ſemina & comæ commeſtæ aut coctæ ac potæ venerem extinguunt, cannabis cujus ſemen id præſtat, & ut *Galenus* de Simplici Med. facienda docet, ſi præſertim comedatur, ſeminalem materiam abſumit.


Camphora quæ plerorumque medicorum teſtimonio, venereos ardores potentiſſime extinguit, ac inter reliqua hujus generis medicamenta facile primos obtinet, de ejus temperie ut & facultate venerem extinguendi autores diſcrepant, alii enim calidam, alii frigidam & quiſque experimentis quæ brevitatis cauſa omittimus, ſententiam ſuam probat; nonnulli quidem iſtas diſcrepantes opiniones hoc modo conciliare conantur, dum ſtatuunt in camphora duplicem ſubſtantiam, ut in aceto, rhabarbaro, roſis aliiſque, unam calidam quæ camphoram penetrantem, acrem, inflammabilem, aliam vero frigidam cujus vi venerem extinguat & inflammationibus oculorum proſit, corallia, cicuta idem quoque præſtant, cataplaſmata quoque ex mercuriali, & lenticulâ paluſtri parata, lumbis, & pectori impoſita utilia ſunt, ut & lamina plumbi in lumbis geſtata; peſſus in mulieribus ex ſucco plantaginis, portulacea, & cucurbitæ; nitum maxime conducit in hoc morbo.

Verum de his medicamentis præcipue iis quæ occulta vi ſemen & venerem extinguunt, monendum eſt caute ea uſurpanda eſſe, & non niſi in monialibus, & virginibus quæ certis de cauſis conjugium inire non poſſunt, in virginibus vero quæ olim matrimonio ſe viris conjungere deſiderant,

ab iis abſtinendum, cum ſteriles efficiant. Tandem nil tutius arbitrantur autores, quam ſe ſe honeſto matrimonio, viro ſtrenuiſſimo, & notæ circa opus fortitudinis, conjungere.

Victus, & regimen, ea eſſe debent, ut omnia quæ ad veneris appetitum provocant, cautiſſime vitentur.

FINIS.



DISPUTATURI

R. R. D. D. PROFESSORES REGII.

D. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

R. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex.*

R. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

R. D. GABRIEL - FRANCISCUS VENEL.

R. D. CAROLUS LE ROY.

R. D. GASPAR - JOANNES RENÉ.

R. D. ANTONIUS GOUAN.

R. D. FRANCISCUS BROUSSOUNET.

R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus, Profeſſor Emeritus.*